CONCLUSIONES

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

IUXTA

D. THOMÆ AQUINATIS

SENTENTIAM

ADMODUM REVERENDO P. MAGISTRO

F. CAROLO GUCCI

PROVINCIALI ROMANO

ORDINIS PRÆDICATORUM

Atque Regiæ Celsitudinis Magni Etruriæ Ducis, necnon Pisarum Universitatis Teologo.

F. COSMAS IOSEPH CHIOCCHETTI

LUCENSIS



ORDINIS PRÆDICATORUM

D. D. D.

FLORENTIÆ MDCCI.

Apud Cæsarem, de Bindis. Sub Signo S. Bernardi.

SUPERIORUM PERMISSU.



VIGILANTISSIME

PRÆSVL



Vm humiles istæ theses e tenebris excitatæ moveantur in lucem, ne violento cursui damnentur; sed ut recto tramite felicem exitum sortiri queant, non alium nisi te, Vigilantissime Præsul, velut optatum patrocinij terminum adipisci festinant. Et sane ubi Palladis opera rudi licet edita delineamento locari debent; nisi tuis pedibus consecrata quiescere, qui virtutum omnium dominaris in solio? nisi sedis sapientiæ limine commorari, ubi te velut in debito throno defixis oculis omnes admirantur? Pisanæ en plausus Academiæ spectatores hoc indicat invocando, tibique dicans celeberrima iuvenum ingenia, scrutatorem divini Numinis te veneratur in cathedris. Et quem latet tanti dignitas Herois in sede scientiarum constituti, si in ipsa Legales Celsitudines statutum honorant? Doctores ubicumque laureata præbent diademata? studijs incumbentim cohors prona vene-

nera-

neratur obsequijs. Invidit merito horum felicitati Gusmanæ Prolis Religio, quæ vi valida e cathedris supra regiminis candelabrum asportare conata ne tantum iuvenum ingenijs, at Cœnobiorum incolis, prudentia veteranis, doctrina senioribus, in Provincijs, in Religione, in Ecclesiastica Præsulum Hierarchia fulgeres unanimi desiderio gubernationis sceptrum composuit in dextera; unanimi repetam desiderio, cum maxime consentaneum esset ab eo teneri regiminis clavum, a quo imperandi leges sciscitari petunt Dominatus, cui Heroum, Principum, maximorumque Ducum recta fidunt, & cordis, & Maiestatis consilia. Hac de re violentum esse meum quemcumque motum putavi, nisi ad te patrocinatum agnoscerem, a quo Dominicanæ Provinciæ cursus omnes velut a motrice gubernantur intelligentia. In te in quam imbecillis tutamen ingenij non me latuit esse reperiendum, ad cuius opem literariam literati confugiunt, cui famulantur virtutis cultores, quem expetunt dignitates, futurique honores, quos gesta portendunt tibi flagitant adhærere. Raptus ergò humanitatis tuæ fragrantia, sectans sublimium ingeniorum vestigia in te solum velut optatum centrum intendentia requiem huic thesium motui concedere, ne deneges, obsecro, Accipe in parvo munere magnum, & voventis animum, & animi laborem, hilari vultu respice donum ex parvo augendum in maximum, si fuerit ab animi tui benigna acceptione, tutoque patrocinio locupletatum, Vale.

Paternit.is tuæ Adm.um Rev.de

Humill.mus, & Obsequentis.mus Servus ac subditus
F. Cosmas Ioseph Chiocchetti.

CON-



CONCLVSIONES

EX VNIVERSA

PHILOSOPHIA

EX LOGICA

I.



PRæter logicam naturalem datur logica artificialis, quæ est ſcientia ſimpliciter ſpeculativa, & ſimilitudinariè practica, cum ſit ars liberalis attingens inſtrumenta ſciendi pro formali, ſive ens rationis directiuum operationum intellectus, tanquam obiectum formale; Operationes vero ut dirigibiles, vel ut directas attingit ut obiectum materiale tantum, & dividitur in docentem, & utentem, non tanquam in duos habitus realiter diſtinctos, ſed ſolum per rationem, nec dividitur in plures habitus partiales, ſed eſt una ſimplex qualitas unius ſpeciei athomę.

II.

Datur ens rationis, quod habet esse obiectivè tantum in intellectu, unde non consistit in pura extrinseca denominatione, nec in aggregato ex extremis realibus, & cognitione intellectus falsò adunantis, sed in esse ficto, & impossibili distincto ab omni possibili, cuius causa nec sunt sensus interni, vel externi, aut voluntas, sed solus humanus intellectus potens illud efficere per quamlibet sui operationem, non per omnem actum, sed solum per comparativum, sive directum, sive reflexum.

III.

Datur natura universalis non tantum in voce, sed ex parte rei significate quæ est natura creata corporalis, & in triplici statu invenitur, solitudinis nempe, singularitatis, & abstractionis, in primo statu non est universalis formaliter, cum sit tantum una negativè, sicut nec in secundo statu, in quo nullam habet unitatem, sive aptitudinem, bene vero in tertio, in quo gaudet unitate & aptitudine positiva, qua propter in statu contractionis, seu a parte rei sicut non est una formaliter in pluribus individuis, ita non est distincta formaliter ex natura rei a sua singularitate, unde in creatis omnem distinctionem mediam denegamus.

IIII.

Vniversale prædicabile est unum positive aptum ut sit in multis, & de illis prædicetur, in qua definitione definitum formale non est aggregatum ex natura, & secunda intentione, aut natura ut connotante secunda,

dam, intentionem, sed est secunda intentio ut connotans naturam, & dividitur in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens, quę sunt species universalis & sub ipso continentur ut verę, & proprię species, & inter se specie distinguntur penes diversum modum prædicandi.

V.

Prædicamenta sunt decem tantum, substantia scilicet, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, situs, quando, & habitus, quæ omnia sunt entia realia finita, creata, completa, incomplexa, univoca, unde sub nullo prędicamento ponitur Deus, bene vero Christus Dominus ut homo ponitur in prędicamento substantiæ, quæ est quidditas, cui debetur esse per se. Quantitas est extensio partium in ordine ad se. Relatio est cuius totum esse est in ordine ad aliud non relatiuum, sed absolutum, sive sit relatio mutua, sive non mutua, distincta realiter entitative a fundamento & termino.

VI.

Demonstratio, vel est sillogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisque, conclusionis, cuius præmissæ efficienter concurrunt ad assensum conclusionis, & intellectum necessitant quo ad specificationem, non vero quo ad exercitium ad assentiendum conclusioni. Vel est sillogismus causans scientiam subalternantem, siuè subalternatam quæ est vere, & proprie scientia quo ad substantiam, non vero quo ad statum in absentia subalternantis.

 Da-

EX LIBRIS PHYSICÆ.

I.

PHysica est una scientia specie athoma quoad omnem sui partem, cuius obiectum formale est tantum primum ens mobile radicale naturale, sivè est ens naturale substantiale, quod non componitur ex athomis somniatis à quibusdam, qui dum toto conatu quęrunt experientię obedire ut rerum magistræ adstruunt athomos nullis experientijs, atque rationibus subiectas; undę omnes athomos denegamus, sicut & Archęum Magicum, & dicimus solum omnia componi ex materia, & forma, quæ sunt rerum omnium principia in facto esse.

II.

Materia est pura potentia nullum habens actum sivè entitatiuum, sivè metaphysicum, aut existentialem, unde existit per existentiam formę, sine qua nequit etiam de potentia Dei absoluta existere, consequenter cum ipsa sit incorruptibilis, & appetat semper sui conservationem, appetit etiam omnes formas substātiales quas potest habere appetitu desiderij, quas habet appetitu complacentiæ, quas vero habuit, nullo appetitu appetit: Forma substantialis est actus primus compositi, quod non distinguitur à partibus simul sumptis, & unitis.

III.

Duæ causæ creatæ eiusdem generis & ordinis nequeunt eundem effectum producere de potentia Dei absoluta,

ta, ſicut nec elicere poſſunt operationes abſque Dei concurſu, tam ſimultaneo, quam prævio; quæ proinde non ſunt cauſæ inſtrumentales, nam cauſa inſtrumentalis non tantum indiget applicatione cauſæ principalis, ſed ulterius ſui uirtute, ut media illa poſſit effectum cauſare, & Deus ſuo concurſu prævio ſolum applicat virtutem cauſę creatæ ad eliciendam actionem, quę ut actio eſt ſemper eſt in agente.

IV.

Deus nequit inferre violentiam corporibus ut author univerſalis, bene vero ut author particularis; ſimiliter non poteſt adaptare idem corpus in duobus locis, licet duo corpora accomodet in eodem loco; nec poteſt ponere infinitum in actu ſecundum magnitudinem, multitudinem, & extenſionem; licet detur infinitum in potentia ut eſt continuum, quod ſolis indivisibilibus non conſtat, nec naturaliter poteſt concedere vacuum Mundo, licet ſi daretur, in ipſo dandus eſſet motus.

V.

Motus eſt actus entis in potentia prout in potentia, cuius unitas generica, & ſpecifica ex unitate generica, vel ſpecifica termini ad quem deſumitur; numerica vero ab unitate numerica mobilis, temporis, & termini deſumitur, proindecque non poteſt eſſe ab æterno, ſicut omnia alia ſucceſſiva, licet permanentia poſſint eſſe. Talis motus in gravibus, & levibus provenit a generante ut a principio proximo, in viventibus vero a corde, vel a principio ipſis intrinſeco.

EX

EX LIBRIS DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

I.

DAtur generatio substantialis viventium distincta ab alteratione, & est origo viventis à vivente coniuncto in similitudinem naturæ, cuius terminus totalis est compositum ut subsistens, partialis vero forma constitutiva rei genitæ, quæ ut introducatur in materia indiget præter dispositiones pręvias dispositionibus concomitantibus effectivè à forma procedentibus, materialiter tamen, sivè in genere causæ materialis præcedentibus.

II.

Corruptio est simpliciter naturalis, non tamen per se primo intenta à natura, sed solum secundario intenta, media qua resoluuntur omnia accidentia usque ad materiam primam, quorum subiectum non est sola materia, sed compositum ex materia, & forma, sicut & subiectum proprium nutritionis, & augumentationis est solum vivens, quod remanet idem toto tempore vitę, etiam si toto tempore vitę nutriatur, & augeatur.

III.

Datur raritas, & densitas, quę sunt physicæ qualitates tertię speciei, sicut, & datur intensio qualitatum, quæ non fit per additionem partialis qualitatis, sed per maiorem radicationem in subiecto, quod cum de poten-

tentia obedientiali non habeat determinatam capacitatem ad ipsam recipiendam, nec etiam habet repugnantiam ut qualitas in ipso intendatur usque in infinitum sincategorematice, unde nec implicat in ipso recipi duas qualitates plusquam in gravu octavo licet repugnet, quod ipsas naturaliter simul in gradu octavo recipiat.

IV.

Elementa sunt quatuor tantum, quæ remanent in mixto non per eminentialem continentiam suarum formarum, nec per hoc quod in ipso remaneat qualitas media, sed per hoc, quod eorum qualitates maneant ædem in specie ut elementorum virtutes, unde & quatuor sunt primæ qualitates, quarum singulæ elementis per se primo conveniunt, & in agendo repatiuntur.

EX LIBRIS DE ANIMA.

I.

ANima est actus primus corporis fisici organici potentia vitam habentis, vel est id quo vivimus, mus, sentimus, loco movemur, & intelligimus primò, & est triplex vegetativa scilicet, sensitiva & rationalis, & anima superior eminenter formaliter continet inferiores, quæ in animalibus perfectis sunt indivisibiles, divisibiles in inperfectis, unde ab ipsis omnes corporis partes informantur sicut & sanguis, alijsque humores, spiritusue vitales, & animales.

Ani-

II.

Anima vegetativa tribus gaudet potentijs, nempe, nutritiva, augmentativa, & generativa. Anima sensitiva quinque sensibus externis, qui non sentiunt sensibile immediate sibi supra positum, & vehementi sensibili leduntur, & quatuor sensibus internis. anima autem rationalis solum tribus potentijs gaudet, quæ realiter ab ipsis distinguitur ne substantia sit immediate operativa.

III.

Aima rationalis est immortalis, per se subsistens, & spiritualis, licet sit forma corporis, sicut & intellectus, voluntas, & memoria, quæ ut cognoscant indigent speciebus obiectorum suorum quæ sunt entia creata, finita, & iste potentiæ inveniuntur in anima rationali, etiam dum est a corpore separata.

LAVS DEO.

Defensabuntur publice in Ecclesia Sanctæ Mariæ Novelle de Florentia ab eo qui supra F. Cosmas Ioseph Chiocchetti Lucensis Ordinis Predicatorum.

Anno MDCCI. Mense Die Hora